

HENR. BALTHAS. ROTH. D. P. P.

ACAD. IENENS. P. T. RECTOR.

NOBILI ATQVE CLARISSIMO

DN. IOH. HENRICO ALBERTI,

I. V. DDO,

S. P. D.

Ingens quondam honos victoribus habebatur in solennibus ludis, quando cunctorum non plausu tantum, et faustis acclamationibus exciperentur illi, sed capita quoque lauro in maiorem rei splendorem cingerentur. Verum omnis haec laus parta corporis robore, vel quadrigarum rapido decursu, vel pedum velocitate, ignobili hominum studio, quod in hoc brutis haut raro simus inferiores. Quanto maior erit virtus, atque ingenii cultus, vbi cum exigua isthac praerogativa comparetur? Non laurus ab interitu vindicat, aut praeter honoris collati tesseram quidquam tribuit, non laetissimi plausus verba efficiunt, vt magis gaudeamus ob corporis, quam ingenii dores, quae solae laudis ingenuae sunt capaces, atque immortales nos praestant. Magna sic tua, Clarissime Vir, est dignatio, ac honor non exilis, quod in curriculo iuris nostri ciuilis ad solidae doctrinae metam adspiras, inque hac academia laboris iuxta et virtutis agonothetas requiris, quos inuenies quoque in vota facillimos. Ea enim est indolis tuae praestantia, in publica vita et actu forensi laus, vt honores concedendos dudum sis promeritus, maiores posthaec victricis Astraeae munere suscepturnus. Huc nos inducit, ac spei certae fiducia implet dissertatio praesens de Reuisione Actorum, qua totius argumenti huius ambitum egregie complexus praecellens ingenii specimen demonstras. Vale, et in stadium certaminis publici feliciter procede. Ienae Mens. Aprilis CICICLXXX.

